

SACRA ROMANA ROTAE

Nullitatis matrimonii Novae Aureliae
(Coram R. P. D. IOSEPH M. SERRANO)

Sententia definitiva die 5 aprilis 1973.

Paulo PP. VI feliciter regnante, Pontificatus Sanctitatis Suae anno decimo, die 5 aprilis 1973, RR. PP. DD. Marius F. Pompedda, Ioseph Mercieca et Ioseph M. Serrano Ruiz, Auditores de Turno, quorum postremus et Ponens; in Causa Nova-Aureliensi, Nullitatis Matrimonii, inter D.nam Mariam,atricem, Novae Aureliae degentem in iudicio repraesentatam per patronum ex officio eidem datum, adv. D.num Antonium Compagnoni; et D.num Antonium, conventum, domicilium habentem in Civitate Bellomonte (Beaumont, Texas) legitime per Curatorem ipsi constitutum, Rev. Georgium A. Herbert, citatum, et Iustitiae Tribunalis se remittentem; intervenientibus ac pro munere in Causa disceptantibus, Rev.mo D.no Francisco Boncompagni, H. A. T. Vinculi Defensore, et Rev.mo D.no J. J. D. Prabhu, specialiter ad casum deputato; hanc tulerunt in tertio iurisdictionis gradu Sententiam definitivam:

I.—FACTI SPECIES

1) D.nus Antonius et D.na María communi devinciebantur fidei catholicae professione et accurata institutione, cum inter disciplinarum studia penes Novam-Aureliensem Universitatem peracta, mutuam relationem foverant. Haec autem, viro adhuc stipendia merente, in canonicum duxit matrimonium, die 21 maii 1955, in Paroeciali Ecclesia eiusdem Civitatis Novae Aureliae celebratum. Vita communis, numquam facilis nec pacifica, per octo fere annos protracta est, quamvis intercesserit quasi annua viri seiunctio et restauratus dein coniugum convictus nullo modo vera individua vitae consuetudo haberi queat. Graves perturbationes psychicae mariti irritum matrimonium fecissent iuxta assertiones actricis, quae post frustra iterata conamina in melius res immutandi, voto quoque extrajudiciali cuiusdam psychiatrae suffulta, supplicem libellum obtulit Tribunali Novae Aureliae, die 19 octobris 1966. Aditi Iudices negativam decisionem dedere die 7 iulii 1970, cum plurimi testes excussi essent nec pauci periti interrogati.

2) Legitima interveniente appellatione, acta transmittabantur Tribunali Chicagiensi alterius instantiae, quod, nulla addita ulteriore instructione, sen-